

(43) Viro Perillustri et Generoso
Equiti aurato

Dno. Carolo von Linné

Fautori Optimo

S. P. D.

Mart. Thr. Brännichius.

En, Vir Generose! lætæ messis Americanæ decimas quasdam Tibi quam modestissime oblatas. Plures restant vel jam descriptæ vel amplius determinandæ. Museum Reginae Svec. nondum vidi, ideoque facile inter meas novas species invenies, quæ jamjam ibi descriptæ sint. Brownii Jamaicam intra breve tempus accipio, unde recognoscam, quæ forte ibi antea delineata sunt insecta. Te annuente, Vir Generose! descriptiones et icones aliquot Concharum insectorumve Societati Reg. Scient. Upsal. offerre aggrediar. Observavi, sed nimis sero, missis nempe jam proximis literis, Patellam fissam descriptam esse in Syst. Nat.; sed, ni fallor, vertex in specimine misso, cujus plura non possideo, haud erat perforatus, ut adeò eam inter vertice perforatas non quærerem. Falconem sub nomine argentati vel cani a me descriptum inveni inter Frisch. av. tab. 79. Anatem penelopem fronte alba mihi de Cimbria promisit amicorum quidam, ut adeò tunc certius de meis in Ornithol. Bor. sub hoc nomine descriptis anatibus judicare queam. Sine dubio restat heic in museo specimen anatis, quam Penelopem dixi, absque macula frontali, ita ut hanc, si jusseris et occasio adest, transmitterem. Aves quarum descriptiones in proximis dedi literis in museo sunt Dni Fleischeri, qui eas vere appropinquante Dno Pennant, ut æri incidantur, mittit; nec in duplo sunt specimina, ideoque minus accurate mentem forte in pristinis literis explicavi, siquidem ex literis Consulis Danici cognosco, Te harum exuvias farctas exspectasse. Jam accepi de America Curculionem anchorago cum definitione tua optime congruentem, in multis quoque convenit cum meis Curculionibus antea descriptis sub no. 5 et 6, sed differt ab his Curculio anchorago femoribus dentatis atque elytris punctis excavatis